DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS MASON,

CAMBRO-BRITANNUS:

COLL. REG. CH. LOND. SOC.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

———"*Suspensa manet vis in aëre ipso:*
"*Et cum spiranteis mistas hinc ducimus auras,*
"*Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.*"

LUCRET.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.

VIRO OPTIMO,

THOMÆ BROWNE,

DE *MELLINGTON*

ARMIGERO,

COHORTIS REGIÆ MONTGOMERIENSIS

PRÆFECTO;

OMNI VITÆ ELEGANTIA ORNATO;

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM,

IN AMICITIÆ GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM,

OFFERT DICATQUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

MIHI rem de qua dissererem seligenti fuit propositum, ut morbum tractarem, qui sæpè incidit, et cui opis plurimum medicinæ ars præbuerit. Hujusmodi morbus is est, qui *Typhus* dicitur. Ab ævo vetustissimo nullus gravior morbus humanum genus vexavit. Imò equidem in medicinæ cunabulis adeò ingravescebat, ut medici typhum inter ipsamque pestilentiam haud discernerent. Recentioribus etiam temporibus fuit perquam exi-

tiosus: excultæque urbes atque oppida, incolis suis miserè denudata sunt. Ergo, quum adeò exitiabilis fuerit morbus, dolendum est, naturam ejus tam obscurè percipi, ut de remotioribus etiam causis plurimùm ambigatur. Fortassè chymiæ ars investigantibus olim lumen præferat. Attamen in his utcunque scientiæ angustiis, multùm ad morbum arcendum et sanandum efficiatur: imò equidem ad nullum morbi genus, cura et peritia medici efficaciùs adhibeatur quàm ad typhum.

Quod de hoc morbo proferre ausus sim, id ad militantes homines præcipuè pertinebit, quorum complures hoc morbo laborare soliti sunt.

Porrò, multum temporis studiique in hoc meum primum opusculum impendere in votis erat; sed parum otii ad investigandas rerum causas, militaris vita præstiterit: quapropter opus minùs absolutum et expolitum, lectores mihi condonaturos spero oroque.

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Indicia typhi in pluribus ægris adeò levia sunt, ut morbus vix pateat. Exoritur tamen suspicio, ægris diutiùs iis morbis languentibus, quos amotu faciles judicaret medicus; certiorem verò præsentis morbi eum faciunt febriculosa signa, eademque haud planè manifesta.

Nonnunquam materia tabifica, aut alia causa, in corpora vi ingenti agit; ægro, quasi fulmine percussus sit, jacente: id autem in hac regione rariùs.

Fermè tardiùs et insidiosiùs irrepere solet. Morbo e contagio scilicet exorto, ut Dr Lind narrat, sentitur aliquid ingrati, quod a quibusdam odori terreno et malo in ventriculum pertinenti, ab aliis stramento corrupto, comparatur. Dicitur etiam confluentium variolarum similitudinem gerere, mutationis tempore.

pore. Notandum est tamen, hæc ab aliis aut non omninò aut vix sentiri.

Æger fermè debilis est, languidus solitisque occupationibus minùs aptus; languent oculi, dolent dorsum, partesque extremæ et infirmiora sunt; tremunt manus: caput vertigine aut ponderis sensu, aut dolore, laborat. Mens subindè errat. Animus tristior. Somnus, cui aliquando propensior est, fractus, et malis somniis perturbatus, fatigatum parùm reficit.

Pulsus fermè languidus et frequens; respiratio difficilior sub noctem. Alget ægrotus, et foco diù assidet. Crebræ porrò alternationes caloris frigorisque, sibi invicem succedunt.

Lingua raró sicca, sed nonnunquam muco tenui et subalbido obducta. Appetentiam cibi imminutam queritur, nauseam aliquando et vomitum instantem. Alvus fermè astricta; multis tamen ab incepto morbo laxior. Urina plerumque pallida est. Tali modo per primos dies afficitur typho mitiori ægrotans.

Sunt

Sunt tamen in quos morbus majore vi ingruit. Rigores, si aderint, intensiores, et calor insequens violentior; tum syncope et alia debilitatis signa instant; animus valdè depressus; dolor capitis dorsique et partium extremarum; tum nausea et vomitus crescunt; pulsus citior et debilior, et subindè inæqualis; accedit insignior debilitas; demùmque putredinis indicia maturiùs occurrunt: ex quibus, in his regionibus, constat typhus gravior.

Secundo morbi gradu succedente, symptomata augentur. Pulsus et respiratio accelerantur; calor fit minùs mobilis et valdè penetrans, nonnunquam ad 105^{tum} gradum thermometri Fahrenheitiani ascendens, raro altiùs. Sitis ardentior; urina pallidior, interdum rubicundior, et turbida. Sæpè etiam delirium apparet, fermè demissi generis. Aliquando morbus in hoc gradu, synochæ speciem gerere incipit, præsertim ubi congestio vel dolor cujusvis partis adsunt, adeò ut medicus incautus quoad naturam facilè decipiatur. Aliàs hic gradus insensìm præterire videtur,

indiciis

indiciis debilitatis et putredinis tam citò supervenientibus.

In tertio gradu, aut duodecimo quasi die, corporis vires citò deficiunt; et symptomata magis multiformia eveniunt, et conspicua pro vi morbi. Capitis vertigo, præsertim in positura erectâ, appetentia cibi deficiens, languor et insomnia, sunt quibusdam unica valetudinis mala. Alios, morbo graviore, urgent acerbiora. Hæc sunt maximè conspicua: Æger resupinus jacet, in lectum delapsus; rarò se movet, aut corporis posituram vertit; sed alius sæpissimè se movet. Tum palpebræ languent; oculi obtectu eodem hærent et hebescunt: porrò totius oris aspectus immutatur. Lingua tremit protrusa, interdum protrudi nequit, aut quando fiat, magno cum dolore retrahitur. Oculorum musculi inæquali vi agere videntur, adeò ut tunica conjunctiva sola videatur. Tendines in nonnullis quasi vellicatim agitantur, convulsione totius corporis haud rarò sequente.

Sensus

Sensus externi afficiuntur. Aures hebescunt. Et oculi, præsertim sub fatalem morbi finem, vitiantur.

Delirium sæpè adest, fortassè vehemens, sed fermè demissum, et quasi mussitantis.

Pulsus sæpè valdè languidus, creberrimus et interdum inæqualis; aliàs tardus supra modum, aliàs paululùm a salubri statu discrepans, periculo nihilominùs magno instante. Erecto corpore, nonnulli sunt syncopi gravi obnoxii. Quibusdam respiratio languida, frequens, et singultibus fracta. A quibusdam medicis sanguinis emissio in usu fuit, et solita sanguinis concretio notabatur, imò etiam aliquando superficies coriacea alba; sed morbo progrediente, in nonnullis pertenuis erat. Porrò, hæmorrhagiæ passivæ in diversis partibus erumpunt: aliquando sub cute sanguis effundi videtur; unde formantur petechiæ, aut vibices, quæ ecchymoses ampliores sunt.

Lingua, initio morbi alba, superficiem hiulca fit, aut măgis sicca et fusca, nigra etiam aut aliquando livido nitore. Sitis fermè gra-

vis;

vis; nonnunquam linguâ arente, nulla est. Sæpè sorde nigrâ et densâ gingivæ dentesque obteguntur. Sæpè dejectiones ad summum morbi gradum laxiores fiunt. Abdomen, aliquando flaccidum, quasi distentum esset; aliàs tumidum durumque, et sæpè cùm dejectione nigrâ et fœtidâ. In quibusdam sudor gravis et malè olens succedit. Urina fit rubicundior, nonnunquam magis obscura, etiam nigra.

DIAGNOSIS.

Si morbus sit reipsa typhus, diagnosis erit manifesta. Debilitatis signa, iis quæ synocham indicant, absentibus, hoc febris genus satis lucidè denotabant. Sin verò aliquid inflammatoriæ febris huic accedat, diagnosis in morbi initio erit difficilior.

Cl. Joannes Pringle Baronettus de manuum tremore mentionem facit, utpote typhum in primo morbi gradu indicante. Inquirendum, an contagio fuit obnoxius æger. Judicare etiam

etiam possimus, consideratis anni tempore et natura morbi epidemici, et effectibus remediorum anteà adhibitis.

Milite typho ægrotante, accedunt plerumque forsan signa inflammatoria nonnulla, et etiam diarrhœa. Dr CURRIE inquit, pulmonaria symptomata xxviiivæ Legionis febri adesse. Accedebant, etiam in Montgomeriensis Legionis febre, unà cum diarrhœa permagna: scilicet, frigus, cui miles, noctes vigilando objiciatur, causis morbi excitantibus superadditur.

PROGNOSIS.

FEBRES quæ leves videbantur, inopinatè fatales fiunt. Contrà, ægri debilitate magnâ oppressi, aliis malis signis etiam comitantibus, convaluerint. Ergo in prognosi cavendum est.

Lingua, in summo morbi gradu humida, anteà valdè sicca aut arida; sudor eodem

tempore erumpens, comitante pulsu leniore et temperatiore; diarrhœa etiam sub morbi finem, cute simul humescente; bona signa habenda sunt.

Urinæ sedimentum à quibusdam pro secundo omine habitum est; illi haud multùm fidendum: aliis verò faustis symptomatis conjunctum, boni exitûs spem augeat. Exspuitio quoque copiosa benè indicare dicitur; in nonnullis ad salivationem crevit, et crisin induxit. Hujusmodi sunt etiam quarundam glandularum tumores, cùm ad suppurationem pervenerint; subsidentes aut repulsi, fatales fieri dicuntur, saltem recedente glandulæ parotidis tumore. Quidam medicus meritò insignis scribit, febrem illam de qua tractabat, apud milites scilicet, nonnunquam habere comitem testiculi tumorem; monet autem haud esse hoc symptoma illius febris proprium. In quibusdam, tumor ad suppurationem processerit; in aliis verò omninò repressus est, neque aliquid mali evenisse mentionem facit: Anne habendus est hic tumor, quo morbus solvitur?

Surditas;

Surditas; somnolentia haud tamen in coma crescens; eruptio acrior circa labia et nasum; petechiarum mutatio, in colorem rubicundiorem; ægro quoque vinum concessum libenter bibente; inter felicia signa quoque enumeranda sunt.

Ut prognosin paucis expediam, notandum sit fermè quanto manifestiora debilitatis signa fuisse, aut proclivitatis ad putredinem, tantò majus periculum imminere; hisque variis indiciis coalescentibus augetur exitûs infelicis expectatio. Oculus languidus et hebescens; insolitus oris aspectus; membra inertia et immota, aut e contrario motibus inordinatis agitata; deglutitio difficilis; tendinumque subsultus; omnia sunt mali exitûs prænuncia.

Pulsus perquam languidus, trepidus aut inæqualis, aut præter solitum lentus; respiratio debilior, creberque aut interruptus; sæpè mortem denunciant. Hujusmodi est etiam lingua nigra et sicca, sine siti tamen ulla. Accedunt aphthæ; spiritus malè olens; abdomen flaccidum, aut tumidum durumque; excrementa nigra et fœtida, eademque liquida, aut plumbei coloris, qualiscunque

fuerit

fuerit concretio; porrò etiam sudor fœtidus, et urina obscurior.

DE PROPHYLAXI.

Ut præcaveatur morbus, percipiendæ sunt remotiores causæ, quas amovere necesse est. Solita harum causarum in duo genera distributio, *prædisponentes* scilicet et *excitantes*, difficiliùs teneri in hac febre possit; nam causæ excitantes pro prædisponentibus, et hæ pro illis, vicissim aliquando habeantur: exempli gratiâ,—contagio, quamvis fermè causa excitans sit, in corpore aliquando lateat, donec frigus aut aliquid intemperantiæ ad agendum excitaverit: ibique contagium tantùm prædisponere videatur.

Inter CAUSAS PRÆDISPONENTES enumerentur omnes, quæ systema nervosum debilitant, quales sunt omne genus intemperantiæ, tristioraque pathemata. Sunt tamen, quæ ex-

cipiuntur.

cipiuntur. Nonnulli enim morbi, quibus debilitas magna adhæret, typho aggredienti oppugnare videntur. Hæc in scorbuticis procul dubio patet. Et verisimile est, idem posse de anasarca et phthisi, et fortassè de nonnullis aliis morbis, prædicari. Victus e carne solâ constans, a quibusdam pro causa prædisponente habetur; hæc tamen opinio ab illa altera antedicta, paulò discrepat, scorbutum marinum ad typhum minùs proclives reddere. Porrò admodum juveniles senesque raró hoc morbo ægrotant; verisimile est igitur spatium vitæ interveniens prædisponendi vim habere. His annumeremus quidam aëris status, utpote vigorem corporis debilitaturum; hæc tamen causa inter excitantes a nonnullis habetur.

Ad sustentandas corporis vires aut integrandas, plurimùm valuerint mens tranquilla curis vacua, prudens victûs regimen, et remedia roborantia, præsertim frigidarii usus.

Excitantes causæ diversæ sunt. Nonnunquam suspicio fuit corporum putridorum effluviis morbum excitari: cujusmodi sunt occisorum

cisorum cadavera post grande prælium inhumata; plurimorum animalium viscera, quæ in victum mactata fuerant; frumentum corruptum, quod in militum usum condebatur; paludumque herbæ putrescentes. Aëris status etiam pro excitante causa habitus est. Haud tamen satis compertum anne prædicta ista causæ sint excitantes. Omninò incertum est an putrescentium animalium exhalatio ad morbum concitandum valeat. Quæ e paludibus exoritur, nisi permagna sit, febrem diversi generis excitare videtur. Porrò aëris status tantùm prædisponere videatur ad morbum recipiendum, vel causis excitantibus auxiliari. Quoad alias causas febrem hanc generantes, magis constat. In confertis locis procul dubio generari videtur; cujusmodi sunt naves ad exercitum transvehendum, ædificia militibus plena, tentoria etiam. Morbusque semel generatus contagione diffunditur. Accedit quod Dr Currie ait esse verisimile, corpus in febrem propter causas internas et ignotas incidere. Verisimile est, ut dubitatio de hâc re ad hoc refer-

re

re possit, tabem scilicet, a quo morbus generatur, in corpore latere celatum, nec unquam fortassè se ostendere, nisi aliquâ causâ operam conferente excitetur: ita evenit ut siqua alia causa in aperto sit, ex illâ provenire morbus falsò existimatur.

Etsi, ut anteà dixi, miasma palustris intermittentis febris plerumque sit origo, tamen si valdè potens demissam et continuam febrem generat. Hujus causæ natura nobis ignota est. Profuerit tamen quædam ad eam pertinentia recolligere. Observatio docere videtur specificum ejus pondus aëre esse gravius; posse a vento transvehi, adeò ut morbus in iis, qui aliquantùm distant, excitetur; porrò aëri valdè immistum dissipari, inersque fieri.

Providendum igitur ut locus altior in regione palustri eligatur; et qui sit vento a locis insalubribus spiranti minimè apertus. Porrò exhalatio ipsa minuatur. Si fieri possit, regionem palustrem inundare profuerit. Ita scilicet decrescit vapor noxius: et verisimile est id fieri, humum solis calore ex parte privando,

vando, superficiem evaporantem contrahendo, et fortassè etiam miasmate ab aqua partim absorpto et retento.

Confertis locis sæpè exoritur morbus, sive propter aëra respirando mutatum, sive propter exhalationes e corporibus provenientes, vitiatas, haud adhuc notando aut experimentis factis compertum. Morbum istis locis oriri procul dubio est. Illic ventilatio, munditiès, et probatus fumigandi modus, adhibeantur. Quoad ventilationem notetur, necesse esse aëra corruptum ocyùs expelli, et puriorem admitti. Ad aëra corruptum emittendum, caminus cum igne largo et aperturæ in summâ parte fenestrarum aut conclavis, idonea erunt ; ad aëra purum recipiendum in infimâ parte aperturæ fiunt. Simul cavendum ne recto aëris cursui æger objiciatur. MARETI experimentis compertum videtur esse, aperturas in infimâ parte januarum aut conclavis, multùm valere ad aëra contagiosum efficaciùs emittendum. Ad fumigandum, *gas acidum nitrosum* vel *gas muriaticum* in usu sunt. Gas acidum nitrosum pulmones minùs

nùs irritare dicitur, quod si ità sit, nonnunquam commodiùs adhibeatur; sed gas muriaticum proprias sibi utilitates habet.

Etsi contagii naturam nesciamus, tamen aliquid certi de lege quâ agit, habemus. Vario ex ægrorum corporibus effluxu effundi videtur, scilicet e pulmonibus, intestinis et cute. Agendi vis inter terminos angustos clauditur: notabat Dr HAYGARTH variolarum contagium paucas ulnas a tabi fonte extendere; insuper scribit, febrium contagium arctioribus finibus coërceri. Tabi vis, si cum aëre valdè immisceatur, impotentior fieri videtur; a vento tamen ferri potuerit, statu adeò mero ut corpora inficiat: id quod reipsa in loco *Old Bailey* dicto alibique accidit. Porrò, corpora diversa, lignea præsertim et lanea, ad se contagium trahendi vim habent; diuque illud, nisi purgata fuerint, retinent, imò contagii potentia, ut nonnulli volunt, dum celatur, intenditur. In quibusdam tabi effectus protinùs apparet; aliàs in corpore hebdomadas multas lateat, fortassè nonnunquam agendi

impotens, nisi causis cooperantibus adjuvetur. De contagio ab aliis arcendo, hæc igitur sunt notanda: Ægrorum excrementa sine mora auferre oportet; accessus propior ad ægrum vitandus est, itemque aëris perflatus, evaporatione nocivâ ex ægro manante, inquinati; cubiculum supellectile parciùs instrui debet, idque naturæ minimè attrahentis; munditie et ventilatione opus est; et quoniam morbus non semper protinùs apparet, de iis cavendum, qui e regionibus febre infectis et aëre morbido advenerint.

RATIO MEDENDI.

Nunc ad morbi curationem veniamus; paucis tamen prædictis. Milite hoc morbo ægrotante, protinùs ad nosocomium removeri debet e contubernio, ubi tridui biduive spatium aut decurionis veniâ aut medici incuriâ forsitan remanserit, ad militare officium haud satis validus, nec tamen se adeò ægrum existimans,

existimans, ut opus esset valetudinario. Dum removetur, et posteà si debilis sit, cavere oportet ut in horizontali positura, aut ita inclinante, contineatur. Ad quod, cathedra cui tergum mobile est, commoda erit. Necesse est ægrotantis lectum et stragula sine mora ablata, lavare et fumigare. Quod subindè negligitur; et verisimile est tali incuriâ evenit, ut typhus se tam citò apud milites disseminet. Insuper oportet ægri conclave ventilare, et munditiei multum operæ impendere; quibus neglectis, parùm profuerint omnia alia. De hac re, prædictis accedat hæc admonitio, ne unquam nimis confertum sit ægrorum conclave; nec nimis amplum, ut nonnulli putant, quippè ita ventilatu difficilius. Cavendum porrò, ut temperatura aëris admissi ægro conveniat; frigus enimverò contagio vim addere nonnunquam fuit suspicio.

Regimen antiphlogisticum convenit: quodcunque in organa sensuum violenter agat, id vitandum; et insuper, quantùm fieri potest, omnes corporis motus et animi exercitatio, quibus delassentur ægri. Irritatio ista, quæ

a siti oritur, aut ab illis, quæ in ventriculo, intestinisve fuerint, obstari aut removeri debet. Quidam veteres consuescebant ægris liquida prohibere; sed recentiorum experimenta, illos in hoc erravisse, docent.—Diversa quidem Natura suggerit, dux optima, si sagaciter sequeremur. Aliquid farinarii potui immisceri oportet, quippè sitis aquâ merâ non tam penitùs sedari solet; nec dilutio æquè fit; aquâ nimiâ celeritate per renes transeunte: profuerit igitur, oryzam aut hordeum, aut aliud farinæ addere, ut cursus aquæ per renes retardetur. Potus fiat etiam acidulus, atque ita magis refrigerans et palato gratior; calidus etiam frigidusve, ut ægro convenerit. Calore ingravescente frigidus optabitur, et dari oportebit. Lenibus emeticis purgetur ventriculus, idque si langueat æger, ipecacuanhâ optimè fiat, aut leniore etiam vomitorio. Multum curæ alvo detur. Illâ diutiùs astrictâ, irritatio facta est, febrisque augetur, aut diarrhœa molesta et debilitas succedet. Notandum est, febre chylificationem minuente, fæces uberiùs dejici; nec tamen ob-

liviscendum,

liviscendum, minùs victûs quàm bonæ valetudinis tempore sumi. Sub-murias hydrargyri inter aptiora aperientia enumeretur, utpotè fæces minùs aquosas reddens quàm sales medii. Febre progrediente, enemata sufficient; tutiora ferè existimantur, et minùs debilitantia quàm per os data aperientia: haud verò ita compertum habebat insignis medicus Dr C. Smyth.

His prædictis, nunc de morbo ineunte præcidendo, pauca suggeram; et siquando hoc propositum successu careat, de morbidis symptomatis removendis.

Diversa remedia in usu fuerant ad morbi principiis obstandum, scilicet, sanguinis emissio, vesicatoria, emetica, præparata ex antimonio, cinchona, et aqua frigida corpori affusa; sed sanguinis emissio, vesicatoria et cinchona, rarò hodiè hoc proposito adhibentur; non opus est igitur ut eorum vim tractem.

Medici *emeticis* multùm utuntur. Imitari quippè videntur unam salutarem morbi crisin, sudorem nempè afferunt: tum febris vim remittit, vel omninò dissolvitur, præsertim si intra

intra primos dies adhibita fuerint. Licèt etiam iis maturiùs quàm aqua frigida affundenda utamur; namque frigoris sensus et calor infra naturalem modum, si aderint, impediunt quò minùs aquam frigidam affundamus. Emetica hoc proposito exhiberi videntur, ut tabum morbidum quod ventriculo inesse putabant, expelleretur; vel ut vehemens concussio fieret. Insuper notandum est, præparationes ex antimonio pro emeticis sæpè adhiberi in febrili morbo, et cæteris anteponi; verisimile est igitur ut, præter vim vomitariam, in ventriculum agendo operam conferant ad febrem dissolvendam.

Emeticis incassùm tentatis, *aquam frigidam* affundere oportebit, inter terminos scilicet experientiâ præscriptos. Quidam existimavêre hoc remedium temporibus admodum antiquis usitatum fuisse; quod, utcunque fuerit, optimè meretur Dr CURRIE, ob præcepta de aqua frigida affundenda, quæ diu notando et experimentis factis instituerit. Hoc illi insigni viro præcipua laus erat. Aquæ affusio, ut inter omnes convenit, sæpè sine mora vel morbum terminat, vel adeò vires ejus mitigat ut

citò

citò abeat. Illud efficere videtur calorem repentè abstrahendo, et præsertim corpus eodem tempore stimulando, febris actione ita interruptâ vel deletâ. Regulæ, quas in hoc remedio administrando sequi oportebit, sunt istæ: adhibeatur tantùm ubi corporis calor naturalem modum constanter superaverit; nec ullus sudor apparet; nec ullus algor in superficie percipitur; nec ulla inordinata affectio intestinis inest. In febre, quâ symptomata pulmonaria aderant, cautione usus est Dr CURRIE; attamen quando nil dubii, quin morbus generis contagiosi foret, licèt ista symptomata adessent, aquâ frigidâ nihilominùs utebatur.

Præparata ex antimonio existimantur febrem terminare hebdomadâ etiam secundâ. Et illud fortassè efficitur in ventriculum agendo, cujus actionis effectus in partes alias corporis transit. Interdum verò intestina eorum actione adeò afficiuntur, ut ab illis omninò abstinendum sit.

Nunc denique de symptomatis morbi curandis agam, imprimisque de *debilitate*. Et-

si

si sub morbi finem se manifestiùs ostendit illud symptoma, tamen ab ineunte morbo id prospicere oportebit. Venturâ debilitate consideratâ, a liberiore antiphlogisticorum usu cavebimus, etsi symptomata exigere ea videantur. Debilitati occurritur vitalem vim sustentando. Et illud optimè fiat cardiacis remediis, curâ simul ægrotantis victui habitâ. Inter cardiaca, *vinum* maximè probatur. Detur, ut præcipiunt quidam, calore aliquanto modum naturalem exsuperante, si cutis orificia aperta sint, et superficies humescat. Attamen sic vini usus, terminis nimiùm arctis claudi videtur. Arbitror vinum posse utiliter dari, quando calor tres quatuorve gradus supra naturalem modum fuerit. Enimverò vino tunc præsertim uti admonetur æger, cùm, ullo tempore paulò refrigescat, aut cutis humescat, aut languor sentitur.

Febre ingravescente, farinaria materia, quæ in potione ordinariâ dissolvitur, ut in ptisanâ, pro cibo sufficit. E contrario, cùm febris levior fuerit, aut diutiùs producta, aut remiserit, aliquid farinariæ sumatur, coagulatum partimque

partimque de novo solutum. Fructus, præsertim pomacei, idonei erunt: quidam concocti aut pisti minùs acescunt, et magis nutrimenti præbent. Juscula ex carne confecta nonnunquam conveniunt. Sed quodcunque istius generis ægro placuerit, id plerumque permitti potest: quippè si aliquid alienum appetiêrit, ab illo allato, quasi instinctu abstinebit, priusquàm, quantùm noceat, assumpserit.

Corpus febre laborans majorem vim generandi caloris acquirere videtur. *Calorem*, necesse est ut in primo morbi gradu mitigemus, utpote febris actionem confirmaturum. Aër frigidus; aquæ affusio; gelida aut si meliùs convenerit, tepida ablutio, et sales medii, ad hoc propositum maximè in usu sunt.

Sopor aut interruptus est, aut parùm reficit, aut omninò nullus est. Hoc necessariò ægrum debilitat. *Opium* remedio est. Ubi calor modum naturalem exsuperat, et cutis sicca est, opium calorem et inquietudinem augere ferè dicitur. Sed calore, quamvis

sic exsuperavit, subsidente, et cute mollescente, sudorem expromere dicitur opium, atque calorem et molestiam mitigare. Clarus J. PRINGLE Baronettus, notat, opium tunc temporis prodesse, quando æger opinatur, se sanum futurum esse, si tantummodò dormire posset: hoc probabiliter evenit, cùm febris levis sit, aut sub morbi finem, calore multùm imminuto.

Delirium fermè est generis demissi; vinumque est remedium maximè idoneum. Dum vinum detur, plurimum curæ ad caput adhibendum est. Si delirium temperaverit aut removerit, si pulsus plenior fiat et mollior, verisimile est vinum prodesse. Aliquando tamen delirium est vehemens, quod aut nimium sanguis impetum caput versus demonstrat, aut aliquid fortassè inflammationis in parte illâ inesse; et tunc vinum est prorsùs omittendum aut cautissimè exhibendum. Tum vesicatoria temporibus affixa auxilio sunt, aut sanguis e parte expromatur hirudinibus, aut alio modo.

Diarrhœa interdum febre ineunte, erumpit,

et

et sæpè necesse est ut coërceatur, penitùsve supprimatur. Illud fiat cretaceâ misturâ, unà cum opio, aut enematibus cum opio. Sæpè sub finem morbi occurrit, et tunc haud rarò usui sit, præsertim cute eodem tempore humescente. Cùm ita sit, tunc tantummodò reprimatur, cùm salutarem modum excesserit.

Quando adest *subsultus tendinum*, castoreum, camphora, moschus et opium, sunt solita remedia.

Si accedant *petechiæ*, excretiones malè olentes, quæ, ut nonnulli volunt, proclivitatem ad putredinem denotant, antiseptica in usu sunt. Qualia sunt acida, vegetabilia et mineralia. *Gas acidum carbonicum*, vel liquores eo onusti, celebrata fuerunt. Sed aër purus, morbi effluviis haud inquinatus, et mundities summa, præ omnibus prosunt.

Ulceratio sub morbi exitum haud rarò occurrit. Illud non est febris symptoma, sed potiùs partium pressarum effectus. Partes quæ maximè recumbendo premuntur, nonnunquam inflammatione afficiuntur, et gangræ-

nam

nam subeunt. Adeò ut cùm febre vix effugerit æger, hâc sorte lugubri perit. Super musculum glutæum plerumque evenit. Prosit igitur, febris initio, corporis posituram sæpiùs mutari, scilicet ut partes gangrænæ maximè obnoxiæ minùs urgeantur; insuper, sæpiùs inspiciatur æger, et si minimum inflammationis appareat, cura habeatur, parsque inflammata pulvinaribus in medio apertis levetur, aut alio modo, qui fuerit excogitatus. Enimverò parùm valebit ista cura sub morbi finem, ægro quippè adeò languido, ut jacere nequeat aliter quàm resupinus, conditioque ejus ulceratione illâ erumpente, est admodum misera et infelix. Cavere igitur ab illo malo oportebit, et principiis obstare.

Dolor in pedum plantis est alter hujus morbi effectus, de quo queri solet convalescens æger adhuc debilis. Aciculis pungentibus similem esse dicit. Pars affecta, flaccida est tactu. Est operæ pretium hunc levare, qui aliquando ægrum sopore privabit. Oleum parti admotum usui fuit, et applicatio spirituosa levamen præstiterit.

F I N I S.